

cum iudiciis castris villis et districtibus civitate Lipzk cum suis pertinentiis, una strata quae ad imperium pertinet dumtaxat excepta, nec non cum castro Nova curia^{a)} cum suis pertinentiis silvis villis venationibus et iudiciis ad ipsum castrum pertinentibus ab antiquo ac bonis aliis nobis ab ipso domino episcopo nominatis et per suas literas feudales expressis, quae omnia et singula praedictus Th. marchio se suosque progenitores a Merseburgensi ecclesia tenuisse et adhuc tenere suis patentibus literis est confessus, quam quidem protestationem gratam habentes et ratam ipsam auctoritate praesentium confirmamus. Ne vero super his quae liberaliter agimus sinistrae interpretationis aut oblivionis incommodum locum sibi valeat vindicare, praesentem litteram de speciali iussu et voluntate nostra conscriptam sigillo nostro regio fecimus communiri. Huius rei testes sunt magister Heinricus de Clignenberg curiae nostrae vice cancellarius, Fridericus burgravius de Nuremberch, comes Euerhardus de Catcenelboche, comes de Ottigen fideles imperii. Datum apud Egram anno domini M^o.CC^o. LXXX quarto, regni vero nostri anno undecimo indictione XI.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg mit dem beschädigten Siegel des Königs an einem Pergamentstreifen.

Böhmer, welcher diese Urkunde in den Januar 1285 setzt (Regesta Rudolphi p. 125 No. 808), bemerkt dazu: in dieser Gestalt wohl sicher unächt, obgleich nach einer ächten gemacht. Vgl. auch Wilmans Regesta episcopp. Merseburg. in Pertz Archiv XI. S. 158. Wilmans hält (S. 157) Nova curia irrthümlicher Weise für Freiburg im Kr. Querfurt.

a) Naunhof, Eph. Grimma.

No. 12. 1285. 8. Nov.

Markgraf Friedrich von Landsberg verkauft dem Bischof Heinrich von Merseburg seinen Hof zu Leipzig, vordem Hof des Vogts von Schkeuditz genannt.

Nos Fridericus dei gratia marchio de Landesbere universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis volumus esse notum, quod venerabili in Christo patri domino Heinrico Merseburgensi episcopo ementi nomine Merseburgensis ecclesiae curiam nostram in Lipzk, quae quondam curia advocati de Sckudz vocabatur, cum pomerio ante eandem curiam sito et duobus hortis extra muros Lipcenses situs eidem curiae attinentibus pro sexaginta marcis argenti vendidimus, quam summam pecuniae nobis recognoscimus integraliter persolutam. Eandem itaque curiam, quia ipsam cum pomerio et hortis praemissis ab ecclesia Merseburgensi titulo tenuimus feudali, praedicto domino episcopo et ecclesiae Merseburgensi resignavimus et ex nunc in his scriptis libere resignamus. In venditionis igitur nostrae et resignationis praedictae memoriam sempiternam praesentem paginam conscribi iussimus et ipsam sigilli nostri munimine roborari. Datum Wissenvels anno domini M^o.CC^o. LXXXV^o. VI^o. Idus Novembris, praesentibus testibus infrascriptis domino Theoderico Merseburgensis ecclesiae praeposito, Conrado eiusdem ecclesiae canonico, Gevehardo de Querenvorde, Bartholomeo de Livenowe, Heinone et Timone dictis Knut, Heinrico de Slatebach, Heinone de Kirchdorff, Heisone de Mersburg militibus et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach einer neueren Abschrift im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, da das Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg z. Z. nicht aufgefunden wurde.